Schneemann — De verborum cum praepositionibus compositorum apud catullum ... propertium structum.

DE VERBORUM CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITORUM APUD CATULLUM TIBULLUM PROPERTIUM STRUCTURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS SCHNEEMANN
SAXO - BORUSSUS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXI.

DE VERBORUM CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITORUM APUD CATULLUM TIBULLUM PROPERTIUM STRUCTURA

DISSERTATIO INAUGURALIS [illegible]

AD SUMMOS [illegible]

AMPL[illegible]

ACADE[illegible]

HALENSI CUM [illegible]

[illegible]

CAR[illegible]

[illegible]

PARENTIBUS

BENIGNIS ATQUE CARISSIMIS.

Quamquam de poetarum elegiacorum Catulli Tibulli Propertii loquendi usu permultae factae sunt quaestiones, in verba composita, quippe quae ad subtiliorem poetarum cognitionem haud parvi momenti sint, nemo adhuc diligentius inquisivit. Nam Ulrichius quoque in commentatione quae est ‚de verborum compositorum quae exstant apud Plautum structura' (Progr. schol. latin. Halis 1880), etsi fere omnium poetarum verba composita cum Plauti comparavit, de nostris pauca tantum, quae quidem quaestioni favent, et minore diligentia [1]) attulit. Qua re factum est, ut de verborum compositorum structura apud Catullum Tibullum Propertium, quibus exempla haud frequentia Priapeorum suis locis addo, disserere in animum induxerim. Omnium quae ad verba composita pertinent quaestionum et Ulrichii supra nominata commentatio et H. Kelleri dissertatio ‚de verborum cum praepositionibus compositorum apud Lucretium usu' (Halis 1880) ad rationem, qua in dissertatione usus sum, maximo mihi fuerunt usui [2]). Non minus debeo libris doctissimorum virorum R. Kuehneri „ausführl. Grammat. d. lat. Sprache" (Hannov. 1878) et Draegeri „historische Syntax d. lat. Spr." (Leipzig 1874), quos ubi poetarum elegiacorum usum cum optimorum scriptorum comparavi secutus sum.

In versuum numeris indicendis adhibui editionem Luciani Muelleri (Lips. 1870) et apud Propertium quidem numeros uncis non inclusos. Baehrensii enim editiones (Catull. Lips.

---

[1]) haec enim verba quamquam ad accuratam comparationem necesse erant neglecta inveni: apud Catullum: ‚egredi bis c. ex', exire c. abl., expellere c. abl., percurrere c. acc., ap. Tibullum: deducere c. ex, ingerere ter c. dat., plurima ap. Propertium: decidere c. a, deicere c. abl., detrahere semel c. a, ter c. dat., eripere bis c. dat., incidere c. dat., ingerere c. dat., avertere c. dat., succedere bis c. dat.

[2]) de aliis quaestionibus de verbis compositis institutis, quas non neglexi, cf. Keller p. 4 ann., ubi enumeratas invenies.

1876, Tibull. 1878, Prop. 1880), etiamsi propter novos qui adhibentur libros manu scriptos Catulli Oxoniensem (O), Tibulli Ambrosianum (A) Vaticanum (V) Guelferbytanum (G) non erant negligendae et certe Catullo et Tibullo permultum profuerunt, in hac re non sum secutus, cum primum magna libidine, qua versuum ordo permutatur, in libris evolvendis maximae exsistant difficultates, deinde editiones non idem, ut opinor, habeant pretium. Nam quod editor a Tibullo omnia quae secundum librum sequuntur abiudicans falsa in appendicem reponit, vereor ut tenendum sit. Elegias IV 2—6. 13. 14. (Müller) saltem Tibullianas esse Antonius Zingerle [3]) probabiliter mea quidem sententia exposuit. Quod ad Propertium attinet illum haud prospere, postquam bonos codices Lachmannianos Neapolitanum (N) et Groninganum (G) reiecit, deteriores substituisse Vossianum (A) Dauentriensem (D) Florentinum (F) Ottoboniano-Vaticanum (V) satis demonstratum puto [4]).

Priusquam autem ad rem ipsam accedamus aptum videtur quam brevissime nonulla in universum disputare, quae pertinent ad vim, quam infert praepositio verbo quocum coniungitur. Duplex verborum compositorum genus discerni potest: aut in quibus praepositio ad structuram vim quandam habeat aut quorum constructio praepositione intacta relinquatur. Nihil valet praepositio ad structuram, si in verbis compositis ita reperitur, ut cum verbo in unam et inseparabilem notionem confundatur. Vis autem praepositionis exstat, si eiusdem significatio et structura propria, ut pro verbo composito simplex quoque cum praepositione reponi possit, obtinetur, aut si omnino praepositione adiecta verbo significatio additur, quae casum quendam sive tertium, quod frequentissime fit, sive sextum vel quartum exigat, pro quibus haud raro praepositio quaedam cum casu suo reponitur. De hoc tantum genere disserere mihi in

---

[3]) Zingerle, klein. philol. Abhandlungen, II. Heft p. 45 sq. Innsbruck 1877.

[4]) cf. Fr. Leo mus Rhen. a. 1880 p. 441 sq. Kiessling, deutsche Literaturzeitung 1880 p. 231, sq. et nuperrime Carolus Brandt ‚Quaestiones Propertianae' diss. Berol. 1880.

animo est [5]). Verba prioris generis quoniam structura a praepositione non pendente ad quam tractamus rem nihil valent, omittamus, etsi nonulla cum praepositionis potestatem sublatam esse persaepe discerni non possit, suis locis in re tractanda non sunt praetermittenda.

Quid autem discriminis inter varias structuras a verbis compositis pendentes intercedat, quo quidem loco dativus quo praepositio iterata praeferatur, cum satis superque ab illis qui ante me de eadem re scripserunt tractatum invenerim [6]) — nam ne nostri quidem poetae a generali norma longius abhorrent — omittere mihi liceat. Hoc commemoro legem illam, quam nisi fallor Lehmannus [7]) primus proposuit: — antiquiores scriptores praepositionem iteratam, posteriores casus solos imprimis dativum praetulisse — ad Catulli Tibulli Propertii usum quoque esse accomodatam, etsi, quoniam temporis intervallum inter hos haud magnum est, exigua tantum differentia exstat. Sed de hac re uberius infra dicemus.

Iam dissertationem meam ita institui, ut singula verba secundum literarum ordinem disposita enumerarem et capite quidem primo verba cum ‚a, de, ex' praepositionibus composita tractarem, quippe quibus haec sit generalis ac communis notio, ut separationem vel motum a quodam loco significent; capite autem secundo dissererem de verbis cum praepositionibus ‚ad, con, in, ob, prae, pro, sub' et inseparabilibus, ‚dis-, se-, re-' compositis quae omnes, quamquam inter se differentias quasdam habent, tamen generalem assumunt significationem, ut appropinquationem quandam definiant; capite tertio inquirerem in

---

[5]) Exempla quibus quod dixi explicetur sint:
a) implere, perficere b) aliquem adire = ire ad aliquem c) afferre c. dat. et ‚ad', abstinere c. abl. et ‚a', [illegible] c. acc. et in.

[6]) cf. Keller praef. p. 6 sq. et Ignatius, de verborum [illegible] positionibus compositorum apud C. Nepotem T. Livium C[illegible] cum dat. structura (Hal. 1877) p. 7.

[7]) Lehmann, de verb. comp. quae apud Sallustium [illegible] citum leguntur c. dat. structura commentatio [illegible]

verba, quae cum praepositionibus composita intransitiva vi simplicis abiecta transitive usurpantur. Quarto eoque extremo breviter quid discriminis intercederet inter Catulli Tibulli Propertii verborum structuram exponerem, quibus indicem omnium quae reperiuntur verborum adiungerem. De singularum autem praepositionum significatione, quomodo inter se differant, suis locis disseretur.

Haec habui quae praemonerem. Sed iam ad exempla ipsa colligenda accedamus.

Cap. I.

Verbis cum *a, de, ex* praepositionibus compositis, de quibus primum agamus, haec est generalis notio, ut separatio vel motus, qui fit ab aliqua re et vi propria et translata significetur. Etiam poetae elegiaci Catullus Tibullus Propertius his verbis ut fit apud omnes omnium temporum scriptores, qui scripserunt oratione et soluta et astricta, tres adiungunt structuras: praepositionem aut eandem aut huic simili sensu praeditam, ablativum, rarius dativum. Discrimen notionis, quod inter usum praepositionum *a, de, ex* non compositarum intercedit, in universum ad verba quoque quibuscum sunt composita transferre licet, etiamsi singularum praepositionum differentia tam exigua est, ut saepissime sensu non mutato haec pro illa reponi possit. Principalem notionem praepositionum his verbis adiunctarum iam Kellerus Daegerum ut puto secutus dilucide exposuit p. 9 hoc modo: ita inter se differunt, ut praepositio *a* generaliter exprimat motum, quo quid ab aliquo loco removetur vel ab alia re separetur; praepositio autem *de* indicet motum ex superiore loco fieri in inferiorem aut aliquam rem, quod ex Kuehnero II § 91 addo, ab aliqua re quacum antea arte erat coniuncta, separari. Quae differentia autem observetur inter verba cum *a* et *de* composita optime apparet ex exemplis ab Haudio Tursell. p. 185 allatis: ‚qui abiit non adest [illegible] mutavit locum, sed qui decessit reliquit locum, in quo [illegible] esse debebat; quod abest non reperitur, quod deest [illegible] tur‘ [8]). Denique *ex* praepositione motum ex interi[illegible] rei parte fieri indicatur. Discri[illegible] ablativum [illegible]

---

[8]) cf. de *a, de, ex* Draeger [illegible] 91, 92.

§ 2. Verba cum *de* praepositione composita.

decidere (T. P.) proprio sensu cum praep. *a* coniungit P. V 10,44 ‚torquis *ab* incisa *decidit* unca gula.‘ T. notione translata verbo ablativum adiungit III 1,20 ‚an toto *pectore deciderim*‘ cf. Hom. Jl. 23,595 ἐκ θυμοῦ πεσέειν.

declinare (C.) cum praep. *ex* C. 64,91 ‚non prius *ex* illo flagrantia *declinavit* lumina‘.

decutere (P.) c. dat. P. IV 12,27 ‚*decussa* Cydonia (sc. mala) *ramo*‘.

deducere (T. P.) T. locali sensu et sextum casum admittit I 3, 86, ‚*deducat* plenā stamina longa *colu*‘ et praepositione *ex* utitur I 8,21 ‚*e* curru Lunam *deducere* temptat (sc. cantus)‘, sine ullo discrimine. Apud P. semel in libris manu scriptis verbo praepositio *a* adiuncta invenitur III 20,9 ‚at me *ab* amore tuo *deducet* nulla senectus‘, — quo loco Itali, quos non immerito secuti sunt editores recentiores, contra codices *diducet* scripserunt, cum profecto nexui sententiarum praepositio inseparabilis *dis* — „*auseinander*“ de maritis separandis, quod agitur, multo aptius dicatur quam praepositio *de* languidiore significatione praedita.

deesse (C. T. P.) semper cum dativo quem dicimus commodi vel incommodi construitur et personae et rei 1) desum alicui = relinquo aliquem, C. 64, 151 ‚quam *tibi* fallaci supremo in tempore *dessem*‘ 2) deest = non est T. IV 1,100 ‚*tibi* non *desit* faciem componere pugnae‘ P. c. dativ. pers. I 16, 7 ‚et *mihi* non *desunt* turpes pendere corallae‘ III 5,7 ‚*desit* ordo *mihi* lancibus‘ — ubi ablativum *lancibus* poeta scripsit audacius pro genit. *lancium*, quod in oratione soluta ponendum est V 3, 3, ‚si *tibi* lecturo pars oblita *desit*‘, cum dat. rei: I 2,29 ‚nec *desit* iocundis gratia *verbis*‘ III 22,21 ‚illa meis tantum non unquam *desit ocellis*‘. Priap. dat. pers. 2,6. 9,14. 12,7. 57,6.

deferre (P.) cum praep. IV 1,18 ‚opus hoc *de* monte sororum *detulit* . . . pagina‘.

deficere [11] (T. P.) quamquam plerumque transitiva vis praevalet, semel intransitive cum dat. coniunctum inveni (= deesse)

---

[11]) cf. Kuehner II p. 194 Anm.

P. I 1,7 ‚et *mihi* iam toto furor hic non *deficit* anno‘. Ceteris locis verbum intransitivum absolute legitur T. IV 1,191 ‚non te *deficient* nostrae memorare Camenae‘, ubi infinit. sequitur. P. IV 4,27 (= decrescere) qua (sc. via) venit exoriens (sc. deus = sol) qua *deficit.* Transitiva notione haec habui exempla: T. III 4,20 somnus sollicitas *deficit* ante domus. Ab usu pedestrium scriptorum abhorrens infinitivus sequitur P. I 8,23 ‚nec me *deficiet* nautas rogitare citatos‘. Passive c. abl. T. II 5,75 ‚solem *defectum* lumine‘.

d e f l u e r e (T. P.) construitur apud T. cum ablativo sensu translato III, 4,81 ‚*defluxit corpore* somnus‘. Eodem redit adverbium III 1, 18 ‚nullus *defluat inde* color‘. P. bis verbo praepositionem adiungit, *ex* I 20, 2, ‚id tibi ne vacuo *defluat ex* animo‘, *a* III 13, 7—8 *nec tantum Niobae bis rex ad busta superbae sollicito lacrimae defluit a Sipylo.* Hunc locum non esse integrum iam satis apparet ex permultis quas omnes editores ad locum sanandum praebent coniecturis. Optimi codices N et G *lacrimas* habent, quo servato Lachmannus in versu priore *Niobe — superne* scripsit, de quo Luc. Muellerus praef. XXIX tam vetusto tamque bono scriptori verbum *defluendi* cum accusativo iunctum non convenire recte annotat. Muellerus ipse Nicol. Heinsii scripturam *lacrimae* secutus versus ita reponit:

Nec tantum Niobae bis sex ad busta superbae
Sollicito lacrimae defluit a Sipylo.

Quo modo a Muellero a libris manu scriptis minus removente locum optime in textum repositum esse existimo; non ita mihi placet, quod Baehrensius editor recentissimus codicibus nimis postpositis coniecit:

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimans defluit a Sipylo.

d e g r e d i (C.) c. praep. *a* semel Baehrensius correxit C. 6[illegible] ‚sed quid ego *a* primo *degressus* carmina . . . commemo[illegible] pro *digressus* optimis libris G et O firmatum. Sed n[illegible] inveni locum, ubi verbum *degredi* a propria loci signific[illegible] abhorret, cum *digredi* saepissime sensu aberrandi a p[illegible] oratione, ut hoc loco fit, usurpetur. Itaque non est quod a[illegible]cibus recedatur.

deicere (P.) c. ablat. P. III 29,13 ,*deiectos* Parnasi *vertice* Gallos'.

delabi (C. T.) bis cum praepositione constructum exstat C. cum *ex* 64,66 omnia quae toto *delapsa e* corpore T. c. praep. *a* II 6, 39, ,qualis *ab* excelsa praeceps *delapsa* (soror) fenestra'.

demere (C. T.) uno loco c. praep. *ex* C. 68,146 ,ipsius *ex* ipso *dempta* viri gremio'; cum tertio casu T. IV 3,14 ,et *demam* celeri ferrea vincla *cani*'.

demittere (P.) cum ablat. P. V 1,131 ,ubi bulla rudi *demissast* aurea *collo*'.

denegare (P.) c. dat. pers. et acc. dupl. I 6,9 ,illa meam *mihi* iam se *denegat*'.

depellere (T.) cum sexto casu T. I 2,49 ,haec tristi *depellit* nubila *caelo*', cum dat. pers. I 10,25 ,at *nobis* aerata, Lares, *depellite* tela'.

deprecari (P.) propriam vim praepositionis *de* asservans verbo ablativum addit P. III 32,17 ,*lecto* te solum, *lecto* te *deprecor* uno'.

deprehendere (deprendere) (C.) c. dat. 56,5 ,*deprendi* modo pupulum *puellae*'.

derepere (T.) cum ablat. T. I 2,19 ,illa docet furtim molli *derepere lecto*'.

deripere (T.) apud T. semel cum *de* invenitur I 2,82 ,sertaque *de* sanctis *deripuisse* focis'; semel cum *ex* I 10,60 ,*e* caelo *deripit* ille deos'.

descendere (P.) cum abl. P. III 25,3 ,luna negat *descendere caelo*'. Eodem modo:

desilire (P.) III 8,50 ,fulminaque aetheria *desiluisse domo*' IV 16, 26 ,pampinea *desiluisse rate*'.

desistere (P.) cum praep. *a* P. I 12,19 ,neque *ab* hac *desistere* fas est'. Sic iam Puccius, ubi ex optimis codicibus N et G hic *discedere* ille *dissistere* praebet.

detrahere (T. P.) semel cum praep. *a* P. III 31,13 ,quoniam agrestem *detraxit ab* ore figuram'; semel cum *de* praep. T. I 5,66 ,vinclaque *de* niveo *detrahet* ipse pede'. Sextus casus reperitur T. I 5,32 ,cui poma Delia selectis *detrahat arboribus*' P. V 11,10 ,cum *detraheret lecto* fax inimica caput'. Reliquis

locis dativus personae usurpatur T. II 1,73 ,hic *iuveni detraxit* opes' P. IV 1,21 ,*mihi* quod vivo *detraxerit* invida turba' V 11,95 ,quod *mihi detractum* est' IV, 10,35 ,ubi *Pompeio detraxit* harena triumphos'. Baehrensium cum Lachmanno hoc loco, ut illud quod in ipsius codice F invenitur *hec tibi Pompeio* aptius scriberetur, scriptura *tres ubi Pompeio* perbona reiecta, sine idonea causa transpositionem exhibuisse Brandtius sua dissertatione recte demonstravit p. 14.

devellere (C.) cum dat. pers. 63,5 ,*devolsit* (= devellit) ilei acuto *sibi* pondera silicei'.

devocare (C. T.) semel praepositionem *a* assumit C. 65,2 ,etsi me cura *devocat a* doctis virginibus'; bis ablativum solum secum habet C. 66,6 ,dulcis amor *gyro devocet aetherio*' T. I 2,46 ,tepido *devocat* ossa *rogo*'.

devolvere (C.) c. praep. *ex* C. 59,4 ,*devolutum ex* igne prosequens panem'.

§ 3 Verba cum *ex* praepositione composita.

edere (T. P.) bis cum abl. iunctum invenitur T. I 4,73 ,haec mihi . . deus *edidit ore*' P. V 1,121 ,Umbria te notis antiqua *Penatibus edit*' (= procreare, gignere).

ediscere (P.) cum praep. *ex* P. V 3,37 ,*e* tabula pictos *ediscere* mundos'.

effere (T.) cum abl. T. IV 1,123 ,cum sol caput *extulit undis*.' Sicut etiam verbum intransitivum:

effluere (C.) c. 65,18 *effluxisse meo animo*.

egredi (C. P.) ablativum nudum usurpat P. I 20,17 ,ferunt olim Pagasae *navalibus* Argon *egressam* . . . '; apud C. bis cum praep. iterata reperitur 64,74 ,*egressus* curvis [illegible] litoribus Piraei' 64,114 ,labyrintheis *e* flexibus *egredientem* [illegible]

eicere (C.) cum abl. C. 68,3 ,*eiectum* spuma[illegible] [illegible]quoris *undis*'. Eodem modo

elicere (T.) I 2,46 ,manesque *sepulcris elic*[illegible]

eludere (P.) c. dat. pers. P. V 1,140 ,*tibi* [illegible] [illegible]us una puella' (= te superabit.)

e m e r g e r e (C.) cum praep. iterata C. 64,14 ‚*emersere* freti canenti *e* gurgite vultus‘. Pro codicum certe falsa scriptura *feri candenti* L. Muellerus cum Schradero simpliciter *freti canenti* scripsit. Baehrensii coniecturam *emersere fero candentis gurgite vultus* non sequar, quia verbo emergendi, quod quidem ex exemplis in „Georges Lexicon“ collatis concludere liceat, frequentissime praepositio geminata adiungitur. Illud autem *canenti* pro *candenti* exemplis a Muellero allatis, quae notionem canendi persaepius voci *gurges* adiungi demonstrant, ut infra vers. 18 *e gurgite cano*, apud auctorem Ciris 514 *cano de gurgite*, mihi probabilius videtur.

e r i p e r e (C. T. P.) semel cum praepositione C. 65,8 ‚*ereptum* nostris *ex* oculis‘. Ceteris locis dativus personae invenitur C. 51,6 ‚misero quod omnis *eripit* sensus *mihi*‘ 64, 219 ‚*eripit* (virtus) invito *mihi* te‘ 68,106 ‚*tibi ereptum* est . . . coniugium‘ 76,20 ‚*eripite* hanc pestem perniciemque *mihi*‘ 77,4 ‚*ei* misero *eripuisti* omnia nostra bona‘ 82,3 ‚*eripere ei* noli‘ Tib. II 4,40 ‚at *tibi eripiant* partas ventus et ignis opes‘ II 5,92 ‚natusque *parenti* oscula . . *eripiet*‘ III 2,2 ‚qui primus caram *iuveni* carumque *puellae eripuit* iuvenem‘ I 9,35 (c. acc. c. inf. = eximere alicui aliquid) ‚illis *eriperes* verbis *mihi* sidera caeli lucere‘ P. III 32,2 ‚*erepta mihi* puella est‘ II 8,1 ‚*eripitur nobis* iam pridem cara puella‘.

e r u m p e r e (T.) cum ablat. T. IV 1,86 ‚*fontibus* ut dulces *erumpat* terra liquores‘.

e v o l a r e (P.) cum praep. *de* P. III 3,15 ‚*evolat* heu nostro quoniam *de* pectore nusquam‘.

e x c i d e r e (C. P.) bis cum ablativo construitur (= privari aliqua re) C. 66,25 ‚*sensibus* ereptis mens *excidit*‘ P. IV 6,7 ‚primo miser *excidit aevo*‘. Eodem sensu huic verbo praepositio *a* addita videtur: P. IV 1,64 ‚ingenio quaesitum nomen *ab* aevo *excidet*‘ (p. Burmann = diuturnitate temporis cf. Hertzbergius I p. 134.) Reliquis locis P. verbo dativum personae adscripsit (= elabi) I 15,36 ‚ut *tibi* suppositis *exciderent* manibus‘ (i. e. ut ocelli tibi in manus exciderent) IV 24,20 ‚*exciderunt* vota *Iovi* surdo‘ V 7,15 ‚iamne *tibi exciderunt* vigilacis furta Suburae‘. Quibus duobus locis libri manu scripti

exciderant exhibent, quod a grammaticis, qui — ĕ*runt* syllaba correpta falsum esse exsistiment, per errorem in textum receptum esse iam Scaliger animadvertit, qui primam et bonam scripturam *exciderunt* denuo reposuit [12]).

excire (C.) c. ablat. 64,56 ,quae tunc primum *excita somno*'.

excutere (T.) c. dat. pers. T. II 6,12 ,sed *mihi* magna locuto *excutiunt* . . verba fores'.

exire (C. P.) cum ablat. C. 80,3 ,mane *domo* cum *exis*'. In Priap. semel abl. invenitur 61,6 ,nec gemmas modo *germine exeuntes* ustulavit aura', bis cum praep. *de* 31,4 ,*exire* ut ipsa *de* tuo queas cunno' 68,21 ,radix *de* qua flos aureus *exit*'. Transitivam notionem induit verbum Prop. IV 4,37 ,cur suos *fines* altum non *exeat* aequor'.

expellere (C. T. P.) bis cum praepositione iunctum inveni C. 76,22 ,*expulit ex* omni pectore laetitias' P. I 3,36 ,alterius clausis *expulit e* foribus'; totidem locis cum nudo ablativo construitur C. 44,7 ,*pectore expuli* tussim' T. II 3,15 ,ipse deus solitus *stabulis expellere* vaccas'. Proinde a Catullo verbum expellendi, quod ex allatis exemplis 76,22 et 44,7 apparet, sine ullo discrimine cum praep. et cum nudo ablativo construitur. Apud T. semel dativus personae usurpatur IV 4,1 ,tenerae morbos *expelle puellae*'.

exprimere (C.) praepositione omissa cum ablat. exstat C. 42,17 ,ruborem ferreo canis *exprimamus ore*'. Eodem modo construitur verbum cum duabus praepp. *ex* et *pro* compositum:

expromere (C.): 64,223 ,*expromam mente* querellas'.

exsistere (P.) cum praepositione iungitur P. IV 5,42 ,quodsin *e* tanto felix concordia *bello exstiterit*'. Sicut etiam

exstare (C.) 64,18 ,nutricum tenus *exstantes e* gurgite cano' [13]).

---

12) de qua re cf. Hertzberg II p. 387 et L. Muelle[illegible] X.

13) adiectivo ,exstans' dativus additur C. 66,77 ,du[illegible] fuit *omnibus* exstans'.

exstruere (T.) semel cum ablat. instrumental. T. II 5,99 ,sibi quisque . . . *exstruet* alte *cespitibus* mensas *cespitibus*-que torum', semel praepositio *ex* sequitur II 1,24 ,*ex* virgis *exstruet* ante casas'.

exspuere (C.) cum abl. 64,155 ,quod mare spumantibus *exspuit undis*'.

extollere (P.) cum abl. III 21,11 ,*extollens gurgite* palmas'.

Cap. II.

§ 4 Verba cum *ad* praepositione composita.

Cum verba primo capite enumerata, ut supra vidimus, n negativam vel privativam prae se ferant, verbis cum *ad* mpositis, quoniam praepositione *ad* directio quaedam ad aliid definitur, ut appropinquatio aut contactus quidam subsit ficitur. Quacum ipsa notione cohaeret verborum structura t cum praepositione, qua subtilius atque accuratius coniunctio dicetur, aut cum tertio casu, quo omnis et generalis approquatio vel coniunctio praecipue personarum exprimatur. Verba tem hoc modo constructa exstant haec:

a c c e d e r e (T. P.) bis cum praepositione 1) proprio sensu IV 1.64 ‚Cimmerion (gen. graec.) etiam obscuras *accessit ad* ces' (Ulixes) 2) sensu translato (= addi) P. V 11,95 ‚quod hi detractum est, vestros *accedat ad* annos'. Semel cum tivo constructum inveni, ubi idem est atque *obvenit mihi quid* P. V 7,86 ‚*accessit ripae* laus . . . tuae'. Uno loco m accusativo coniungitur P. I 9,19 ‚Armenias cupies *accedere res*'.

a c c i d e r e (C.) apud C. bis modo reperitur, ubi idem valens od ‚cadere, incidere, evenire' dativum assumit C. 74,3 ‚hoc ne *si acciderett*' 96,2 ‚si quicquam muteis gratum acceptumve *pulcris accidere* . . potest'.

a d c u b a r e (C.) cum praep. *in* C. 61,167 ‚ut *accubans* vir tuus yrio *in* toro'.

a d c u m b e r e (T. P.) verbum fere omnibus locis de concubi ictum semper dativum secum habet T. I 9,75 ‚huic tam

accubuit noster puer‘ P. II 3,30 ‚Romana *accumbes* prima puella *Iovi*‘ IV 14,12 ‚Antiopen *accubuisse Lyco*‘ V 4,68 ‚nescia se *furiis accubuisse* novis‘ I 3,3 ‚qualis *accubuit* primo Cepheia somno‘, quo loco quis sit casus dubium esse potest. cum in eo vertatur quaestio, utrum actio an status (i. e. actio perfecta) sit statuendus, quod quidem magis credo. Qua re ablativum quem dicimus ‚modi‘ praeferam, ut idem valeat quod *primo somno quiescere,* germanice *„im ersten Schlafe liegen“*. Cum abl. loci III 28,36 ‚Oeagri figura *Bistoniis rupibus accubuit*‘, et absolute dictum III 30,36 ‚inter pecudes *accubuisse* deam‘ (sc. pastori).

addere (C. T. P.) uno loco excepto, ubi praepositio iterata exstat C. 23,18 ‚hanc *ad* munditiem *adde* mundiorem‘ — semper dativus adhibetur C. 66,36 ‚captam Asiam Aegypti *finibus addiderat*‘ T. II 4,42 ‚nec quisquam *flammae* sedulus *addat* aquam‘ IV 1,133 ‚*additus* (= impositus) *aris* . . . ignis‘ P. IV 1,15 ‚multi laudes *annalibus addent*‘ IV, 8,13 ‚argumenta magis sunt Mentoris *addita formae*‘ V 4,35 ‚*montibus addita* Roma‘. Adverbium *huc* adiungitur C. 55,27 *adde huc* 68,153 ‚*huc addent* divi‘.

addicere (P.) cum praepositione *in* P. IV 10,32 ‚*addictos in* sua regna patres‘.

adducere (T.) cum dativo T. I 6,59 ‚haec *mihi* te *adducit*‘.

adesse (C. T. P.) uno loco P. praepositione *in* utitur loci notione (= inesse in) IV 14,23 ‚quaecunque *aderant in* corpore vires‘. Ceteris locis dativus legitur 1) = est mihi aliquid cum dat. pers. C. 64,336 ‚qualis *adest Thetidi,* qualis concordia *Peleo*‘ cum dat. rei T. IV 6,20 ‚hic idem *votis* iam vetus *adsit* amor‘ (pro *vetus* quod libri manu scripti exhibent, Baehrensius *ratus* immerito, ut opinor, quia sensui contrarium scripsit) P. V 1,120 ‚incipe tu *lacrimis* aequus *adesse* novis‘. Quod attinet ad P. IV 15,12. ‚*Tibure* me missa iussit *adesse* mora‘ — iam pridem ablativus loci, quem postulat sensus contra N *Tiburi* recte receptus est (cf. Hertzb. II p. 338). Absolute dictum III 5,23 ‚*adsint* (sc. mihi) parvae exequiae‘ 2) = faveo, adiuvo T. I 3,90 ‚sed videar caelo missus *adesse tibi*‘ I 5,47 ‚haec nocuere mihi, quod *adest huic* dives amator‘. Ita vulgo et recte hic versus

interpungitur. Maiorem distinctionem, quam Baehrensius in editione puncto posito adhibet scribens, . . *mihi. quod* . . iis de causis, quas iam Dissenius in commentario II p. 120 profert, falsam puto. Certe enim si accuratius perspicimus sententiarum nexus est, quem obtulit vir ille doctissimus hoco allato: ,hic fons malorum mihi, quod dives amator ei adest et lena pessima‘. Sed redeo undes um digressus. T. IV 5,6 ,si *tibi* te nobis mutuus ignis *adest*‘ P. I 10,2 ,cum testis *amori adfueram*‘ I 14,23 ,quae *mihi* dum placata *aderit*‘ II 9,15 ,cum *tibi* nec Peleus *aderat* nec viduo Deidamia toro‘.

adferre (C. T. P.) bis cum praepositione construitur 1) *in* P. IV 6,60 ,*attulimus* longas *in* freta vestra manus‘ 2) *ad* V 6,31 ,non ille *attulerat* crines in colla solutos *ad* . . carmen‘. Ita locum, quo vulgo *aut* pro *ad* scribitur, recte restituit L. Muellerus, quo sensus aptus efficitur, ut Phoebus non lyra instructus et crinibus solutis ornatus ad carmen referendum, ut mos erat poetis, sed arcu armatus ad bellandum progrediatur. Dativus, qui id significat, quod Draegerus II p. 388 hoc modo exprimit „*übertragenes Verhältniss der persönlichen Betheiligung des Dativobjectes*“ reperitur hisce locis C. 68,92 ,letum miserabile *fratri attulit*‘ T. I 7,41 ,Bacchus et afflictis requiem *mortalibus affert*‘ P. I 6,24 ,*tibi* non unquam . . labores *adferat*‘ I 11,20 ,si quid *tibi* triste libelli *attulerint*‘. Notione translata verbum usurpatur (= addere) T. II 4,36 ,quale bonum multis *attulit* ille malis‘. Sensu proprio (= adnovere) Priap. 15,2 ,quicunque *attulerit* manus *agello*‘.

adfligere (P.) cum dat. P. IV 6,61 ,alcyonum *scopulis adfligar* acutis‘. Verbum *adfligendi* reponimus cum Baehrensio aliis contra Muellerum, qui *adfigar* scribit, optimum codicem N et libros a Baehrens. D et V designatos secuti. Nam ex nexu sententiarum hoc loco magis contusioni Paeti, quae naufragio facto efficitur, quam alligationi tribuitur. Itaque non est quod *adfligere* in *adfigere* corrigatur.

adfigere (T.) bis cum dativo iungitur T. I 3,87 ,gravibus *pensis affixa* puella‘ I 6,61 ,haec *foribus*que manet n[illegible]me *affixa*‘ i. e. ex Dissenii annotatione ,sine intromission[illegible] sed ex mea sententia sensus subest hic: mater fori[illegible]

affixit, ut — quod ex versu sequenti intelligitur — strepitum venientis pedum, quem cognoscit, audiat.

adflare (T. P.) cum dat. T. II 1,8 ‚*cui* placidus leniter *afflat* Amor‘ II 4,57 ‚ubi indomitis *gregibus* Venus *afflat* amores‘ P. III 27,17 ‚*adflabunt tibi* . . . odores‘.

adigere (P.) semel, ubi in tralatam abiit vim, reperitur cum praep. *in* P. IV 22,14 ‚*in* faciem prorae pinus *adacta* novae‘.

adiungere (T.) I 7,33 ‚hic docuit teneram *palis adiungere* vitem‘ I 9,7 ‚tauros *adiungit aratro* (sc. rusticus)‘.

admittere (P.) III 32,16 ‚te dominum *admitto rebus* . . . meis‘. Praepositio *ad* exstat Priap. 77,9 ‚hoc est non *admittere ad* aucupem volucres‘.

admovere (C. T. P.) c. dativ. personae C. 14 b 26 ‚manusque vestras non horrebitis *ammovere nobis*‘ P. V 8,11 ‚ille *sibi admotas* a virgine corripit escas‘; cum dat. rei T. III 5,11 ‚*templis admovimus* ignes‘ i. e. templa incendimus P. IV 2,5 ‚parvaque tam magnis *admoram* (= admoveram) *fontibus* ora‘. De uno loco haud dubie non sanato, quid statuendum sit, in medio relinquo: P. I 3,16 ubi codices ‚osculaque *admota* sumere et arma manu‘ quo pro ‚et carma‘ cum Gronovio praepositio *ad ora* scribi posset, nisi superfluum nimisque remotum a tradito esset [14]).

adnectere (T.) I 6,79 ‚*adnectit* licia *telis*‘.

adnuere (C. T. P.) cum dat. T. I 12,9 ‚*adnuat* et, Cornute, *tibi*‘ P. I 1,31 ‚*quibus* facile deus *adnuit* aure‘. C. semel verbo praeter dativum transitive accusativum adiungit 61,159 ‚anilitas *omnia omnibus adnuit*‘, quomodo pronominis quidem accusativum saepius verbo additum invenias rarius adiectivi.

adplicare (T. P.) c. dat. T. IV 4,4 ‚*formosae* medicas *adplicuisse* manus‘ P. I 20,20 ‚Mysorum *scopulis adplicuisse* ratem‘.

adponere (P.) verbum P. uno loco simul cum dativo et cum praepositione *in* coniungit II 9,12 ‚et dominum lavit . . . *adpositum* flavis *in* Simoenta *vadis*‘, de quo Hertzbergius II p. 116 annotat: ‚est praegnans praepositionis vis, qua motionis

14) de quo cf. M. Haupt et L. Mueller. praef. XIX.

quodammodo via et finis breviter et cum evidentia indicatur. Ita adpositum corpus flumini puta, ut versus undas porrectum fortasse etiam ex parte in undas pertineret'.

adstare (T. P.) dativus excepto Priap. 10,8 ,*adstans inguinibus* columna nostris' nusquam reperitur. Ad locum significandum praepositiones usurpantur: *ante* T. I 10,8 ,*adstabat* cum scyphus *ante* dapes', ter *super* apud P.: IV 6,11 ,volucres *adstant super* ossa V 6,29 cum Phoebus . . *astitit* Augusti puppim *super* V 10,31 *super* portae dux Veius *astitit* arcem.

adsuescere (P.) c. dat. P. IV 3,6 ,*adsuescent* Latio Partha tropaea *Iovi*'.

attollere (P.) praepositionem *contra* adhibet pro usitatiore *ad* P. I 15,37 ,et *contra* magnum potes hos (sc. ocellos) *attollere* solem'.

attribuere (C.) cum dat. C. 22,20 ,suus *cuique attributus est* error'.

advehere (P.) IV 6,63 ,Italiae *regionibus advehat* aestus'.

advenire (C.) non nisi apud C. inveni. Semel cum praepositione *ad* construitur 101,2 ,*advenio* has miseras *ad* inferias', quo quidem versu praepositio non tam loci notionem, ut exspectemus, exprimit, quam consilium quod spectat ad debitas inferias persolvendas, quam interpretationem versus qui sequuntur postulant. Dativus adiungitur verbo 61,37 ,*quibus advenit* par dies' 64,32 ,*quoi* simul optatae finito tempore luces *advenere*' 64,328 ,*adveniet tibi* . . . Hesperus'. Cui verbo adseram adventare, quod semel cum adverbio locali *huc* inveni C. 64,195 *huc adventate*.

advertere (T. P.) P. I 1,37 ,si quis *monitis* tardas *adverterit* aures' T. IV 1,166 ,*huic adversa* solo pars altera no[illegible]'.

advigilare (T.) cum dat. II 5,93 ,parvo *advigila*[illegible]*ti*'.

advolvere (P.) IV 16,1 ,tuis humiles *advolvim*[illegible]e. ante aras in genua procumbimus.

adspirare (T.) verbum bis et per translationem a[illegible] nitur (= adiuvo, faveo) II 1,35 ,huc [illegible] *aspiraq*[illegible] 3,71 ,*quibus aspirabat* amor'.

§ 5 Verba cum *con* praepositione composita.

in quibus vim praepositionis maximam esse ex exemplis quae sequuntur intelligemus, induunt generalem notionem, ut coniunctio vel consociatio ac comparatio quae cum aliquo vel aliqua re fit significetur, qua ipsa significatione duplicem assumunt structuram aut praepositionem iteratam aut dativum. Sed iam verba ipsa enumeremus.

committere (C. T. P.) semper apud poetas elegiacos cum dativo iungitur et uno loco excepto, ubi sensu proprio notio comparandi exhibetur P. II 3,21 ,et sua cum antiquae *committit* scripta Corinnae', omnibus locis per translationem verbo dativus quem dicimus commodi vel incommodi adponitur (= tribuere, commendare). Ita C. 102,1 ,si quicquam *tacito commissum est* fido ab amico' (quod *quicquam* codicibus affirmatum reiciamus et cum Baehrensio *quid quoi* aut cum Ribbeckio *quoi quid* scribamus non habemus.). T. I 7,31 ,primus inexpertae *commisit* semina *terrae*' IV 1,196 ,corpus *committere flammae*' P. I 4,19 ,nec *tibi* me post haec *committet* Cynthia' IV 8.5 ,*capiti committere* pondus' IV 15,5 ,obductis *committam* mene *tenebris*?' V 1,104 ,aut *sibi commissos* fibra locuta deos'. Priap. 15,1 ,*commisso mihi* . . agello' 20,3 ,sutilibus Liber *committit* praelia *thyrsis*' 71,1 ,si *commissa meae* carpes pomaria *curae*'.

comparare (C.) apud C. semel praepositio geminatur 43,7 ,*tecum* Lesbia nostra *comparatur*'; eadem significatione ter dativus adscribitur semper iisdem verbis 61 v. 65, 70, 75 ,quis *huic deo compararier* ausit?'

componere (C. P.) praeter permultos locos, quos quoniam praepositionis potestas in verbo composito nihil valet omitto, ut T. I 2,91. 2,53 IV 1,100 P. I 11,14 IV 12, 63, aliis, semel dativum verbo additum inveni comparandi notione C. 68,141 ,atquei nec *divis* homines *componier* aequum *est*', semel significatione coniungendi P. II 2,12 ,*Mercurio* suis virgineum *composuisse* latus'. Uno loco quo verbum idem valet quod simplex, praepositio *in* admittitur pro usitatiore dativo P III 30,19 ,*insidias in me componis*'.

concumbere (T. P.) semel cum praepositione geminata iunctum reperitur T. IV 3,16 ,si *tecum* arguar ante ipsas *concubuisse* plagas', bis cum dativo construitur P. III 7,16 ,nudae *concubuisse deae*' T. I 8,35 ,Venus inveniet *puero concumbere* furtim'. Verbo *concumbere* libris firmato et haud dubie *succumbere* deteriorum codicum scripturae praeferendo hoc loco melius dativus adiungitur, cum Baehrensii coniecturam *cum tumido* pro *dum timet* nimis a codicibus esse remotam putem. Itaque Muelleri scriptura excepto verbo succumbendi, quippe quae nexui sententiarum carminis aptissima videatur, magis placet [15]).

concurrere (P.) cum dativo P. IV 8,17 *quibus concurrit* palma quadrigae (= obtingit, obvenit).

conferre (C. P.) omnibus locis quibus exstat verbum notionem comparandi usurpans cum dativo construitur C. 64,343 ,non *illi* quisquam bello *se conferret* heros' P. I 4,9 ,levibus *collata figuris*' (Cynthia) II 3,25 ,haec *tibi contulerunt* caelestia munera divi' III 19,33 ,noli *nobilibus* noli *conferre beatis*' III 24,9 ,*sibi collatam* doluit Venus' IV 24,7 ,color est totiens roseo *collatus Eoo*' V 11.89 ,*collata priori* (matri) vertet in offensas . . verba'. Uno loco P. I 5,7 ,non est illa vagis similis *collata* puellis' non discernam, utrum dativus *vagis puellis* ad adiectivum *similis* an ad participium *collata,* cum utrumque liceat facere, sit referendus. Priap. 32.2 ,*collatas sibi* . . . formicas'.

conicere (T.) verbum quamquam nihil aliud quam simplex hoc loco valet enotavi propter structuram minus usitatam dativis pro praepositione *in* cum accusativo T. I 8,54 ,*absenti* maesta quam saepe querelas *conicit*' (= in absentem querelas conicit i. e. mittit).

coniungere (C.) bis verbum praepositionem geminatam secum habet C. 64,331 ,languidulosque paret *tecum coniungere* somnos' 91,7 ,et quamvis *tecum* multo *coniungerer* usu', bis dativum 62,54 ,si forte eadem (vitis) est *ulmo coniuncta* marito' 64,10 ,pinea *coniungens* inflexae texta carinae' hoc aperte discrimine, ut praepositio ubi agitur de personis, ubi de rebus tertius casus ponatur.

[15]) vide L. Muellerum praef. XX et Baehrensium p. 28.

conserere (T.) cum dat. T. I 8,26 ‚*femori conseruisse* femur'.

constare (P.) semel notione congruendi apud P. exstat V 8,43 ‚neque suppletis *constabat* flamma *lucernis*' i. e. quamquam lucernae suppletae erant tamen flamma non erat lucida.

contendere (C. P.) (= certare) apud C. semel cum praepositione *contra* invenitur 64,101 ‚*contra contendere* monstrum'. P. semel praepositione *cum* utitur III 19,7 ‚*contendat mecum* ingenio' bis tertio casu I 7,3 ‚primo *contendis Homero*' I 14,7 ‚non tamen ista meo valeant *contendere amori*' nullo discrimine intercedente.

contexere (T. P.) cum dativo T. III 4,33 ‚cum *contexunt amarantis* alba puellae lilia' IV 1,22 ‚*huic* (sc. aeri) *contextus* aether' P. II 1,35 ‚te mea musa illis semper *contexeret armis*' cf. intexere, annot.

contingere (T. P.): dativus commodi vel incommodi legitur 1) bis impersonaliter T I 3,33 ‚at *mihi contingat* . .' P. I 12,8 non *cuiquam contigit*' 2) ter subiecto addito T. I 1,49 ‚hoc *mihi contingat*' I 4,1 ‚sic umbrosa *tibi contingant* tecta, Priape' P. V 1,98 ‚vera sed *invito contigit* ista fides'.

contribuere (T.) uno loco propria vi cum praepositione coniunctum occurrit, quo dativum exspectemus: T. I 6,64 ‚proprios ego *tecum* annos *contribuisse* velim'. Sed *contribuere* hoc loco idem valet quod *confundere, communicare,* ut nos dicimus „*mit etwas Zusammenschlagen*" cf. Dissen II p. 142 loco Caesaris de bello civili I 60 recte allato: ‚*Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi*'[16]).

convenire (C. T. P.) apud C. bis impersonaliter cum dativo commodi legitur 57,1 ‚pulcre *convenit* improbis *cinaedis*' et iisdem verbis ib. v. 10. Apud P. verbum cum dativo et, ut significetur ad quem finem coniunctio fiat, cum accus. et infinit. constructum inveni II 1,41 ‚nec mea *conveniunt* duro praecordia *versu* (= *ui*) Caesaris in Phrygios condere nomen avos'. Praeterea bis verbum transitive usurpatur T. III 6,21 ‚*convenit* iratus nimium nimiumque *severos*' P. V 4,81 ‚Tarpeia . . *convenit hostem*'.

---

[16]) Exempla simili sensu ac structura instructa Dissenius II p. 142 affert: T. III 3,7 ‚*tecum—sociarem*'. Senec. epist. 8 ‚*cum amico* . . *misce*' *Ovid. Heroid. XV 191 iungi — tecum.*

§ 6 Verba cum *in* praepositione composita,

quippe quae generalem accipiant notionem directionis alicuius rei quae fit ad aliquid, apud nostros omissis verbis quae § 12 tractabuntur duplicem assumunt structuram: et praepositionem et dativum, discrimine fere nullo intercedente, nisi quod praepositione accuratius directio exprimitur. Et maxime pro paucitate verborum quae praepositiones sequuntur, tertius casus admittitur, sed ita ut Catullus natu maximus, cum ad priorum poetarum usum propius accedat, praeprositioni plus quam Tibullus et Propertius tribuat (cf. infra Cap. IV). De ablativo, qui semel verbo *inesse* adicitur, suo loco disseretur. Iam ad singula quae huc pertinent verba veniamus.

illudere (T.) cum dat. T. III 4,35 ,ima videbatur *talis illudere* palla'. Priap. 70,1 ,*inlusit mihi* pauper inquilinus'.

imminere (C.) cum dat. pers. C. 61,169 ,ut vir . . totus *immineat tibi*'.

immiscere (T.) cum dat. T. I 3,63 ,series (iuvenum) teneris *immixta puellis*'.

impellere (C.) cum praepos. C. 15,15 ,si te mens . . *in* tantam *impulerit* . . culpam'.

implicare (C. T. P.) semel apud C. praepositionem admittit 61,104 ,*implicabitur in* tuum complexum' ter dativus verbo additur T. I, 4,56 ,post etiam *collo* se *implicuisse* volet' III 6,6 ,debueram *sertis implicuisse* comas' P. IV 4,20 ,musarum *choris implicuisse* manus'. Cum adverbio *huc* C. 61,35 ,ut tenax hedera *huc* et *huc* arborem *implicat*'.

imponere (T. P.) non nisi cum dativo reperi T. II 1,60 ,antiquis *imposuit laribus* (coronam puer)' II 1,10 ,*pensis imposuisse* manum' P. II 1,20 ,Ossan *Olympo impositam*' IV 20,13 ,et *quibus imposuit*, solvit mox vincla libido' IV 12,22 ,*imponunt* . . ora perusta *viris*' IV 5,39 ,consimili *impositum igni*' V 2,46 ,flos . . *impositus fronti* meae' V 5,13 ,leges *imponere lunae*' V 6,42 ,quae (sc. patria) *imposuit prorae* publica vota tuae' V 8,65 ,*imponit*que notam *collo*'. Priap. 16,8 ,talia puer . . *imposuit mensae*' 77,21 ,neve *imponite* fibulam *Priapo*'

i m p r i m e r e (C.) cum dativo C. 57,5 ,maculae . . *utrisque* . . *impressae*'.

i n c i d e r e (C. T. P.) ubi mera loci significatio exstat praepositionem habemus iteratam C. 4,21 ,sive utrumque Iuppiter . . *incidisset in* pedem' T. IV 3,22 ,*incidat in* saevas diripienda feras'. Priap. 51,3 ,quisquis *in* nos *incidit*'. Dativus qui dicitur commodi vel incommodi adhibetur: C. 10,5 ,*incidere nobis* sermones varii' P. I 15,28 ,si quid *tibi* durius *inciderit*'. Quod attinet ad P. I 13,35 ,quae tibi sit felix quoniam novus *incidit* error' verbum absolute dictum videtur.

i n c l a m a r e (P.) uno loco mirum in modum et cum dativo et cum accusativo constructum reperi P. V 7,23 ubi haec exstant verba ,*at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis* (= *es)*'. Verbum *inclamavit* in Neapolitano optimo quem habemus libro scriptum ab omnibus recentioribus contra lectionem *inclinavit* in Groningano exhibitam in textum est receptum. Recte, ut puto. Nam praeterquam quod libris melioribus per se maior fides est tribuenda, constructio deteriorum codicum *inclinare alicui aliquid* nusquam neque apud scriptores neque apud poetas mihi occurrit. Contra verbi *inclamandi* structuram et cum dativo et cum accusativo duplici modo interpretemur. Ac primum quidem verbo accusativum *oculos euntes* adiungamus hoc sensu, ut per ambitum verborum ,oculos mihi euntes' pro simplici, ,me morientem' positum sit dativo ,mihi' qui adpellatur ,ethicus' addito. Verbum inclamandi hoc loco eundem sensum accipere mihi videtur, quem simplex praebet apud Verg. Aen. 4,674 *morientem nomine clamat.* Ex altera interpretatione dativus a verbo inclamandi pendet, velut apud Ovidium nescio quo loco huic verbo dativus *timidae puellae* adiungitur. Quo conexu accusativus *oculos euntes* pendet a verbo claudendi, quod in legendo simul audias hac sententia: nemo mihi inclamans oculos euntis clausit.

i n c u b a r e (P.) cum dat. P. V 7,81 ,pomosis Anio qua spumifer *incubat arvis*'. Eodem modo

i n c u m b e r e (P.) I 20,41 ,et modo *formosis incumbens* nescius undis' V 7,3 ,Cynthia namque meo visast *incumbere fulcro*'.

i n d u c e r e (C. P.) semel vi translata cum praepositione C. 30,8 ‚me *inducens in* amorem‘ semel vi propria cum dativo personae P. V 3,29 ‚at *mihi* cum noctes *induxit* vesper amaras‘.

i n e r r a r e (T.) cum praep. *in* T. IV 1,202 ‚summo vel *inerret in* ore‘. quae verba Dissenius interpretatur ‚si saltem levis interdum mentio eius a te fiat cum laude‘. Comparat Bachius Verg. Cir. 357 *sermo novus errat in ore.* Loco Tibulliano codices incerti — alii iique deteriores exhibent *vel inhaeret in ore* (ita lectiones codicum recentissimorum et interpolatorum) aut *vel inhaereat ore* (ita manus secunda Guelferbytani), quam lectionem Muellerus reponit — alii et consensus librorum A G V *vel inerret in ore* scripturam praebent, quam scripsi.

i n e s s e (T. P.) verbum apud omnes scriptores latinos duplicem structuram admittit *in* cum ablativo et dativum. Hic solus bis usurpatur T. I 6,34 ‚frustra clavis *inest foribus*‘ P. V 9,72 ‚velis *libro* dexter *inesse* meo‘. Quod attinet ad T. III 4,84 ‚crimen *pectore inesse* tuo‘, non habemus, quod ablativum *pectore,* quem casum omnes codices excepto V m. 1 (Baehrens) ubi exstat *pectori,* affirment, reiciamus. Nam *pectore inesse,* ut Dissenius II p. 358 cum Huschkio et Eichstadio recte disseruit, memorabilis est structura pro *in pectore esse* [17]).

i n f e r r e (C P) locali significatione semel cum praepositione C. 68,122 ‚nomen testatas *intulit in* tabulas‘. Eodem redit adverbium loci *quo* 68,71 ‚*quo* (= in quam domum) mea se diva pede *intulit*‘ et P. I 18,12 ubi verbum absolute positum ‚*intulit* pedes (sc. in domum)‘. Translata notione (= causam esse alicuius rei) verbum tertium casum secum habet C. 64,42 ‚squalida desertis rubigo *infertur aratris*‘ 67,47 ‚magnas *quoi* lites *intulit* . . puerperium‘.

i n g e r e r e (C. T. P.) semper cum dativo 1) sensu proprio C. 27,2 ‚*inger mi* calices‘ T. II 1,22 ‚*ingeret* ardenti grandia ligna *foco*‘ II 1,49 ‚rure levis verno flores apis *ingerit alveo*‘, quo *verno* ex mea quidem sententia ablativus neutrius est, ut nos dicimus „*im Frühling, zur Frühlingszeit*“ neque cum alveo c[illegible]

---

17) de aliis praepositionis omissae exemplis cf. ed. Dissen. II [illegible] et H. Keller. p. 25, cuius exempla Lucretiana I 590 *corpore* [illegible] III 632 *toto corpore inesse* nostro loco maxime favent.

gendum, ut Dissenio II p. 218 placet. 2) notione translata T. II 5,101 *,ingeret* hic potus iuvenis maledicta *puellae'* P. V 5,35 *,ingerat* Apriles Iole *tibi'*.

inicere (C. P.) semel praepositionem secum habet P. V 6,86 ,donec *iniciat* radios *in* mea vina dies' bis dativum C. 35,10 ,manusque *collo* ambas *iniciens'* P. III 27,21 *,mi* (= *mihi) iniecto* amictu'. Ita Heinsius ex codicum verbis *me in lecto duxerunt* coniecit, quod a L. Muellero repositum mihi magis placet, quam illud a Baehrensio prolatum *me solverunt*. Nam quod B. in annotatione p. 89 Heinsii coniecturam vituperat hisce verbis: *mi — dixerunt H., cum tamen amictu privatum esse poetam nusquam legatur,* equidem commemorationem privandi fieri non necesse esse puto. Ac potius privationem animo cogitatam perferam quam Baehrensii *solverunt* nullo codice exhibitum et ex libidine repositum. Pro tradito *in lecto* recte *iniecto* cum *amictu* coniunctum ab omnibus scribitur. Et Heinsii coniecturam *mi dixerunt* pro *me duxerunt* tam simplicem et sensui aptam existimo, ut eam praeferre non dubitem.

inniti (T. P.) cum dat. T. III 3,13 ,domus . . Phrygiis *innixa columnis'* P. I 20,44 *innixus dextro humero.*

inscribere (T.) cum praepositione geminata T. IV 1,38 ,ut nostrum tantis *inscribam* nomen *in* actis'.

insidēre (T.) cum dat. T. I 2,70 *,insideat* celeri conspiciendus *equo'*. Sicut etiam

insistere (T.) IV 1,135 ,magnis *insistere rebus* (= incumbere)'.

instare (T. P.) bis cum dat. T. I 6,32 *,instabat* tota *cui* tua nocte canis' ubi Baehr. ex sua corrigendi libidine pro *instabat* codicibus melioribus confirmato et summa perspicuitate dicto lauguidius *latrabat* scripsit, quo dilucida imago canis in intrantem impetum facientis plane deletur. P. III 28,7 *,instat* semper amor supra caput, *instat amanti'*.

insultare (P.) cum dativo construitur 1) translata notione: P. II 5,7 ,nec *mihi* tam duris *insultet* moribus' 2) proprio et simul translato sensu: II 8,20 *,insultet*que *rogis* calcet et ossa mea'.

intexere (T.) cum dat. T. IV 1,5 ,*chartis intexere* quisquam facta queat'[18]).

invigilare (P.) cum dativo P. V 4,86 ,Iuppiter . . decrevit *poenis invigilare* tuis (= ut te ulcisceretur)'.

Quibus adiungam verbum imbuendi (C. P.) quod cum notionem instruendi vel erudiendi usurpet aut ablativum ,instrumentalem' quem dicimus aut praepositionem *in* cum ablativo secum habet. Praepositio invenitur C. 4,17 ,tuo *imbuisse* palmulas *in* aequore'. Ablativus exstat 64,11 ,illa rudem *cursu* proram *imbuis* Amphitritem' 46,397 ,postquam scelus *scelere* est *imbuta* nefando'. Cum accusat. rei P. IV 14,6 ,illa (Lycinna) rudes animos *imbuit* (= me imbuit)' V 10,5 ,*imbuis* exemplum primae tu, Romule, palmae'. Verbum omnino memorabile est, quod apud C. et P. cum accusativo rei coniungitur. Hertzbergius enim (comment. p. 495), postquam verbum apud probos auctores semper cum accusat. personae numquam rei coniunctum inveniri dilucide exposuit, putat verbum imbuendi, cum idem valeat quod *instillare,* hoc sensu ad similium verborum rationem referendum esse ut *inspergere, impertire, inscribere, incoquere, inserere* alia, quae duplicem structura admittunt. Quae sententia mihi placet neque cum Baehrensio *inicis* quod exhibent deteriores codices pro *imbuis* corrigam.

§ 7 Verba cum *ob* praepositione composita,

quibus exprimitur quaedam inter duas substantias appropinquatio, ut altera alteri apponatur, ab illo discrimine quod supra in usu praepositionis ,ad' commemoravimus — praepositionem ad subtiliorem atque accuratiorem, dativum ad generalem prae-

---

18) de usu verbi *texendi,* quem accipit compositione cum praepositionibus, annotat Dissenius II p. 393: Constat *texere* cum compositis metaphorice dictum de scriptis cf. ed. Brouckhus. ad T. IV 1,211 *subtexere chartis.* Comparat Forcellin. Petron. 118: *sensum teneriorem verb*[illegible] *ambitu intexuit.* Cui legi obstat *contexere,* quod ter dativum a[illegible] assumit cf. § 5 *contexere.*

cipue personarum appropinquationem significandam adhiberi — eatenus abhorrent, ut uno excepto omnibus locis, quos enotavi, tertius casus his verbis addatur. Catullus enim semel verbo opponendi praepositionem adiungit 26,2 ‚villula nostra non *ad* Austri flatus *opposita* est neque *ad* Favoni . . verum *ad* milia quindecim et ducentos‘, quo loco praepositionem positam esse ad ambiguitatem, quae aperte verbis inest, accuratius praedicandam puto. — Verba autem sunt haec:

obesse (C.) cum dativ. incommodi C. 73,4 ‚*obest*que magis ut *mihi*‘.

obicere (P.) III 23,7 ‚*obiectum* fletis caput esse *tumultu*‘, quo loco vulgo ut a Baehrensio ex codicibus deterioribus *fletis capiti esse tumultum* scribitur. Equidem cum Muellero codicem N secuto scripsi *fletis caput esse tumultu* i. e. *tumultui* dativus brevior sicut I 11,12 et II 1,66 *manu* = *ui*. Notionem vituperandi habet verbum III 28,25 ‚*mi* nemo *obiciat*‘ IV 18,1 ‚*obicitur* a te *mihi* nostra libido‘.

obsistere (C.): 71,1 ‚si *quoi* bono *obstitit* hircus‘.

obstrepere (P.) I 16,46 ‚et matutinis *obstrepit alitibus*, V 4,4 ‚*obstrepit* arbor *aquis*‘.

obtingere (C.): cum dat. commodi C. 107,1 ‚si *quoi* quid cupidoque optantique *obtigit* unquam‘ (= obvenit).

occurrere (P.) cum dat. incommodi P. I 20,3 ‚fortuna *occurrit amanti*‘.

offere (C. T.) cum dat. C. 64,248 ‚qualem *Minoidi* luctum *obtulerat*‘ T. I 4,55 ‚rapta (oscula) dabit primo mox *offert* ipse *roganti*‘ I 6,1 ‚blandos *offers mihi* vultus‘ IV 1,148 ‚nulla *tibi* adversis regio sese *offeret* armis‘.

opponere (C. P.) excepto loco iam supra commemorato C. 26,2 ubi praepositio *ad* exhibetur dativus tantum reperitur: P. I 17,11 ‚an poteris siccis mea fata *opponere ocellis*‘ III 6,13 ‚nec *mihi* iam fastus *opponere* quaerit iniquos‘ IV 10,41 ‚*Iovi* nostro latrantem *opponere* Anubin‘.

§ 8 Verba cum *prae* praepositione composita,

quippe quibus praeter meram loci significationem praecipue notio anteponendi insit, ut ad *praeesse* revocare liceat aut ad eiusdem verbi vim causativam *facere ut aliquis praesit,* omnino cum praepositionibus iuncta apud poetas elegiacos non inveniuntur. Ubique verbis dativus et maximam partem genus quod dicimus commodi vel incommodi adiungitur. Cuius generis verba sunt haec:

praebere (T. P.) T. I 3,38 ,effusum *ventis praebuerat*que sinum' II 3,57 ,*illi* selectos certent *praebere* colores' IV 1,132 ,*precibus* se *praebuit* aure P. I 9,23 ,nullus amor *cuiquam* fociles ita *praebuit* alas' II 7,13 ,nude mihi Parthis natos *praebere triumphis*' IV 6,3 ,tu *vitiis* hominum pabula *praebes*' IV 12,21 ,*flammae* pectora *praebent*' IV 12,42 ,*praebebant* verba *focis*' IV 18,8 ,bona littora *praebeat nautis* saeva Malea' IV 20,28 ,caput *praebeat historiae*' IV 21,4 ,alimenta *sibi praebet* amor'.

praeferre (P.) P. I 7,22 ,Romanis *praeferar ingeniis*' I 20,40 ,florem *praetulit officio*' IV 11,6 ,quisquis fido *praetulit* arma *toro*' Priap. 51,5 ,non ficus hic est *praeferenda vicinae*'. Semel proprio et locali sensu P. V 3,13 ,quae *mihi* deductae fax omen *praetulit*'.

praeoptare (C.) 64,120 ,*omnibus* hic Thesei dulcem *praeoptarit* amorem'.

praeponere (C.) 47,4 ,nos *Veraniolo* et *Fabullo* . . . *praeposuit* Priapus'. 81,5 ,quem tu *praeponere nobis* audes'.

praescribere (T.) IV 1,178 ,ipse *mihi* non si *praescribat* carmina Phoebus'.

praesidere (P.) IV 10,57 ,urbs toto (= toti) quae *praesidet orbi*'. Mera loci notione:

praeducere (T.) IV 1,83 ,*castris praeducere* fossam'.

§ 9 Verba cum *pro* praepositione composita,

quoniam propria praepositionis vis quae pertinet ad meram loci significationem praevalet, ad verba separandi vel amovendi

supra tractata prope accedunt, qua notione apud nostros poetas verba frequentissime cum praepositionibus rarius cum nudo ablativo semel apud T. cum dativo iunguntur. Ubi in translatam abeunt vim, verba aliquid usui vel emolumento esse exprimunt [19]), qua notione dativum commodi vel incommodi assumunt. Verba, quibus loci significatio subest, sunt haec:

procumbere (T.) semel praepositionem *ad* usurpat T. I 9,30 ,nunc pudet *ad* teneros *procubuisse* pedes', semel cum dativo, ubi ,ad' exspectatur construitur: I 2,83 *,procumbere templis* (= *ad templa),* ad quem locum Heynius comparat Sulp. Sat. v. 17 *purae rursus procumbere lymphae.*

procurrere (C) cum praep. *ex* C. 65,20 ,ut . . malum *procurrit* casto virginis *e* gremio'.

prodire (T. P.) T. velut scriptores pedestres praepositionem *ex* adhibet III 3,3 ,non ut marmorei *prodirem e* limine tecti' P. ablat. V 1,106 ,umbrave quae magicis mortua *prodit aquis'.*

proferre (C.) cum abl. C. 64,196 ,quas (sc. querelas) ego . . extremis *proferre medullis* cogor'.

proficisci (C.) bis cum praep. *a* C. 45,19 ,nunc *ab* auspicio bono *profecti'* 46,10 ,longe quos simul *a* domo *profectos* (coetus)'.

profundere (C.) cum ablat. C. 64,202 ,has potquam maesto *profudit pectore* voces'.

proicere (C.) cum praepositione iterata translato sensu C. 64,82 ,Theseus *pro* caris corpus Athenis *proicere* optavit'.

porrigere (C. P.) cum praep. *ex* C. 61,211 ,matris *ec* gremio suae *porrigens* teneras manus' cum dativo (= dare alicui) P. V 7,76 ,ne speculum *dominae porrigat* illa novae'.

prosilire (C.) cum praep. *ex* C. 68,58 ,qualis . . rivos muscoso *prosilit e* lapide'.

prospectare (C. T.) cum ablativo et apud C. 64,52 ,namque fluentisono *prospectans litore* Diae . . Ariadna' et apud T. I 7,19 ,atque maris vastum *prospectet turribus* aequor . . Tyros'. Contra

---

[19]) cf. quod Draegerus hist. synt. § 292 dicit de proprio et translato *praepositionis pro* usu.

prospicere (C. T.) non nisi cum praepositionibus invenitur: C. cum *ex* 64,61 ‚quem procul *ex* acta maestis Minois . . *prospicit*' T. et cum *de* II 5,58 ‚qua sua *de* caelo *prospicit* arva Ceres' et cum *a* III 4,21 ‚cum summa Phoebus *prospexit ab* Oeta (ita Marklandus ad Statii silv. II 2,45 pro tradito *ab ortu*)'.

Verba quae restant dativum commodi vel incommodi exhibent:

prodesse (C. T. P.) quod verbum duodevicies cum dativo inveni eoque undecies interrogationi addito: C. 10,8 ‚ecquonam *mihi profuisset* aere'. T. II 4,15 ‚si non *prodestis amanti*' P. I 7 4 ‚et *prosint illi* . . mala' I 17,5 ‚absenti *prosunt tibi* venti' II 6,39 ‚nam nihil *invitae* tristis custodia *prodest*' III 28,6 ‚nil *tibi* Mercurii *proderit* alta via' III 32 39 ‚non *prosint tibi* fata'. Dativus verbo interroganti additus exstat: T. I 3,23 ‚quid tua nunc Isis mihi, quid *mihi prosunt* . . aera?' I 8,9 ‚quid *tibi* nunc . . *prodest*' II 4,51 ‚sed *prosunt* quid *mihi* vera?' III 3,11 ‚quid *prodest* pondus *mihi* divitis auri' IV 11,5 ‚*mihi* quid *prosit* morbos evincere' P. I 9,9 ‚quid *tibi* misero *prodest*' III 31,17 ‚quid *tibi prodest*' III 32,28 ‚quid *tibi* sapientia libris *proderit*' III 32,29 ‚quid *tibi prosunt* carmina' IV 17,11 ‚quid . . . *profuit illi* mater' V 11,12 ‚quid *mihi* coniugium, quid currus *profuit*'.

promittere (C. T. P.) C. 64,104 ‚munuscula *divis promittens*' T. II 6,49 ‚ubi nox *promissa mihi* est' III 5,33 ‚pecudes *promittite Diti*' III 4,79 ‚hoc *tibi* coniugium *promittit* Delius ipse' P. IV 5,19 ‚haec te teste *mihi promissa* est'.

proponere (C. P.) C. 99,15 ‚quoniam poenam misero *proponis amori*' 109,1 ‚iocundum *mihi proponis* amorem'. P. semel ablativum loci usurpat (= affigere) IV 23,23 ‚haec aliqua *propone columna*'.

§ 10 Verba cum *sub* praepositione composita,

quamvis cum omnibus iam allatis verbis imprimis cum *a* et *in* compositis generalem appropinquandi noti[illegible] comm[illegible]

nicent, tamen, cum vis praepositionis accusativum regentis praevaleat, specialem induunt notionem, ut qui paulatim et furtim ad aliquem praecipue de inferiore loco ad superiorem fit motus definiatur. Quod attinet ad structuram, elegiarum scriptores duobus locis exceptis, ubi praepositio exstat (cf ‚subrepere' et ‚suffigere'), ad omnia verba quae huc pertinent tertium casum accomodant neque raro dativum commodi vel incommodi. Sed iam verba enumeremus

subdere (T. P.) = subicere 1) cum dativo rei: T. I 2,90 ‚Veneris *vinclis subdere* colla' IV 1,67 ‚Plutonis *subdita regno* . . proles' P. I 11,3 ‚*subdita regno* aequora' IV 10,26 ‚*imperio subdere* Bactra caput' 2) cum dat. personae P. I 13,26 ‚nam *tibi* non tepidas *subdidit* illa faces'.

subducere (T. P.) = surripere 1) cum dat. pers. T. IV 13,1 ‚nulla tuum *nobis subducet* femina lectum' P. I 8,45 ‚nec *mihi* rivalis *subducit* amores' 2) cum dat. rei P. IV 1,61 ‚aut *illis* (aedificiis) flamma aut imber *subducet* honores'.

subicere (T. P.) 1) cum dat. pers (= admonere, mentem alicui inicere) P. I 7,20 ‚nec *tibi subiciet* carmina serus Amor' 2) cum dat. rei (= subdere) T. IV 1,117 ‚Romanae *subiecit* colla *catenae*' IV 1,158 ‚media (sc. pars) est Phoebi semper *subiecta calori*'. P. I 10,27 *subiectus amori*.

subire cf. § 12.

submittere (T.) IV 1,170 ‚colla *iugo* didicit *submittere* taurus'.

subrepere (C. T.) semel cum praepos. *in* coniunctum apud C. inveni: 76 21 ‚*subrepens* imos ut torpor *in* artus', quo accuratius, ut mihi videtur, cum dolor qui fit ex amore cum torpore artuum comparetur, violentia et finis utriusque morbi definiatur. Ceterum huic verbo dativus adiungitur C. 77,3 ‚sicine *subrepsti mei* (= *mihi*)' T. IV 3,21 ‚et quaecunque meo furtim *subrepit amori*'.

subripere (= furtim eripere) (C.) 86,6 ‚tum *omnibus* una omnis *subripuit* Veneres' 99,1 ‚*surripui tibi* suaviolum'.

substernere (C. P.) C. 64,332 ‚levia *substernens* robusto bracchia *collo*' ib. v. 403 ‚ignaro mater *substernens* se impia

nato (sc. ad concubitum)' P. IV 6,37 ,natura pontum *substravit avaris'*.

subtexere (T.) IV 1,211 inceptis de te *subtexam* carmina *chartis'* (cf. ,intexere' annot.)

subtrahere (P.) II 5,14 ,iniusto *subtrahe* colla *iugo'* III 1,17 ,et siqua extremis tellus se *subtrahit oris'* i. e. se abdit in extremas oras.

succumbere (C. T. P.) C. 64,369 ,velut ancipiti *succumbens* victima *ferro'* 111,3 (= concumbere) ,sed *cuivis* quamvis potius *succumbere* par est' T. I 8,8 ,quos videt invitos *succubuisse sibi'* P. III 32,47 ,taurus *succumbit aratro'* IV 9,23 ,tibia nocturnis *succumbat* rauca *choreis'*.

suffigere (C.) C. semel praepositione *in* utitur 99,4 ,*suffixum in* summa *esse* cruce' semel dativo 67,39 ,sed heic *suffixa tigillo'* nulla differentia intercedente'.

supponere (C. T. P.) 1) cum dat. pers. C. 69,2 ,quare *tibi* femina nulla velit tenerum *supposuisse* femur' 2) cum dat. rei T. I 8,33 ,huic tu candentes *humero suppone* lacertos' II 1,42 ,*plaustro supposuisse* rotam' P. IV 6,69 ,*supponere* bracchia *mento'*.

suspendere (C. T.) semel cum dat. apud C. invenitur 64,225 ,inde infecta vago *suspendam* lintea *malo'*, apud T. ablativus loci adicitur II 4,23 ,*suspensa* sacris insignia *fanis'*.

Dativus commodi vel incommodi adiungitur hisce verbis:

subesse (T.) non nisi apud T. reperitur: I 9,18 ,saepe solent *auro* multa *subesse* mala'. Annotat Wunderlichius: proprie de iis, quae in aliqua re inclusa latent, ut non animadvertantur et decipiant, quemadmodum dolus, fraus subest, veluti Tac. hist IV, 16 *subesse fraudem consilio patuit.* Liv. VI, 15 Tac. Annal. II, 41. — T. II 5,27 *suberat Pan ilicis umbrae*

subsistere (T.) IV 1,195 ,densis solus *subsistere tur*… (= obsistere)'.

succedere (P.) I 13,27 ,nec *tibi* praeteritos passas… *cedere* fastus' IV 6,38 ,ut *tibi succedat'*.

succurrere (T. P.) = subsidio venire: 1) cum dat. T. I 3,27 ,nunc *succurre mihi'* P. I 5,23 ,nec tibi …

poterit *succurrere* amanti' 2) cum dat. rei P. III 8,13 ,at tu nunc nostro, Venus, *succurre dolori*' IV 14,19 ,*Antiopae* nusquam *succurris* habenti tot mala'.

§ 11 Verba cum praepositionibus inseparabilibus *dis-*, *se-*, *re-* composita,

in quibus propria praepositionis vis, cum non tam ad structuram a praepositione pendentem quam ad significationem verbi pertineat, fere nihil valet nisi quod simplicis notio permutatur. Omnibus communis est notio separandi, sed ita ut praepositione *dis-* praecipue res in diversas partes discedere indicetur, qua re verba persaepe contrarium sensum simplicis exhibent. Vis negativa verbis cum *se-* compositis augetur, qua ut res quasi sine aliqua re sit efficiatur. Verbis autem cum *re-* compositis, quippe quae ad sensum maxima varietate usurpentur, aut efficitur, ut res retroversum vel adversum fiat, aut per translationem, ut quo statu antea res fuerit restituatur vel in novum pervertatur. Qua re, cum verba cum *dis-* et *se-* composita praeter ablativum rarius exstantem fere nullam nisi *a* praepositionem asciscant, his diversissimae constructiones adiunguntur. — Singula verba, quorum numerus apud nostros poetas haud magnus exstat, sunt haec:

digredi (C.) cum praep. *a* C. 64,116 ,sed quid ego *a* primo *digressus* carmine plura commemorem'.

diluere (P.) cum praep. *ex* P. IV 16,6 ,tu vitium *ex* animo *dilue* . . meo'.

discedere (T. P.) T. praepositione *a* II 1,11 ,*discedat ab* aris' P. bis ablativo utitur II 7,7 ,nam citius paterer caput hoc *discedere collo*' III 12,1 *discedis Roma*.

dissidere (P.) cum abl. P. I 12,4 ,quantum Hypanis Veneto *dissidet Eridano*'.

distare (P.) cum praep. *a* IV 4,17 ,Lydus Dulichio non *distat* Croesus *ab* Iro'.

secedere (C. P.) cum *a* praep. C. 64,189 ‚nec prius *a* fesso *secedent* corpore sensus' et P. I 10,9 ‚non tamen *a* vestro potui *secedere* lusu'.

secubare (C.) cum praep *a* 61,101 *a* tuis teneris volet *secubare* papillis'.

recipere (P.) cum praep. *de* V 10,2 ‚armaque *de* ducibus trina *recepta* tribus'.

recendere (P.) cum ablat. modi = aperire IV 18,24 ‚tuas portas *fraude reclusit* amor'.

recubare (P.) cum praep. *in* IV 2,1 ‚visus eram molli *recubans* Heliconis *in* umbra'.

recumbere (C.) cum praep. *in* 17,4 ‚ne . . *in* palude *recumbat*'.

redire (C. P.) cum adverb. *unde* C. 3,12 ‚*unde* negant *redire* quemquam' P. cum praep. ‚a' V 10,6 ‚exuviis plenus *ab* hoste *redis*'.

reducere (C.) cum adv. *istinc* 76,11 ‚atque *istinc* teque *reducis*'.

referre (T.) cum praep. *de* T. I 1,66 ‚*de* funere . . . lumina sicca *referre* domum'.

removere (C.) cum praep *a* C. 63,58 ‚egone *a* mea *remota* haec ferar in nemora domo'.

rescindere (T.) cum praep. *ex* T. I 10,61 ‚*e* membris tenuem *rescindere* vestem'.

Cap. III.

§ 12 Verba quae cum praepositionibus composita intransitiva vi simplicis omissa in transitivam abeunt vim accusativum assumentia.

Huiusmodi verba, quae aut motum ut ,ire venire currere' aut statum ut ,stare sedere iacere' significant, apud poetas nostros componuntur hisce praepositionibus: *ad ante circum con de ex in ob per prae praeter sub trans.* Sed ut iam usum verborum cum praepositionibus compositorum, quae aut sextum aut tertium casum aut praepositionem assumunt, priorum temporum poetis alium ac recentioribus fuisse supra vidimus, non minus verba intransitiva, quae cum praepositionibus coniuncta transitive usurpantur, etsi apud omnium temporum scriptores inveniuntur, tamen a recentioribus, ad quos elegiarum scriptores propius accedunt, latius et frequentius adhibentur[20]. Non fortuito accidere videtur, ut Catullus, quippe qui natu maximus inter eos multis in rebus priorum usum secutus sit, verbis cum praepositionibus ,*ex* et *ante*' compositis hoc modo non utatur, quae Propertius iam frequentius usurpat. — De quadraginta verbis haec novem ,adunere advenire circumcursare decurrere exire involare pererrare perlabi perrepere' a scriptorum optimorum loquendi usu abhorrent, quod ex comparatione cum verbis a Kuehnero II p. 199 sqq. et a Draegero II p. 348 sqq. enumeratis instituta apparet. Quae quidem

[20]) de quo generali usu Draegerus II p. 348 uberius loquitur hisce verbis: *„in keinem Theile der Syntax ist die Sprache so schwankend wie in der Construction dieser Composita; die meisten gehören der nachklassischen Zeit an und besonders Apuleius geht sehr weit darin.“*

verba aut singulis de quibus disseritur poetis propria sunt ut ‚adnuere et circumcursare' Catullo, ‚perrepere' Tibullo aut ab aliis quoque eodem modo adhibentur maxime a Vergilio et Tacito rerum scriptore propter brevitatem et obscuritatem loquendi poetis simillimo, qui, ut exemplum afferam, verbo involandi apud Catullum exstante saepius transitive utitur[21]). Verba ‚subire, increpare, increpitare' praeter accusativum etiam dativum admittunt sed non nisi apud Propertium. Praepositiones post haec verba iteratas elegiarum poetae non adhibent.

Sed iam singula verba secundum praepositiones quibuscum componuntur in ordinem digesta tractemus.

adire (C. T. P.) verbum septiesdecies transitive occurrit: 1) proprio sensu a) = appropinquare C. 8,16 ‚quis nunc *te adibit*' 61,179 ‚iam *cubile adeat* viri' 63,3 ‚*adiit*que opaca, silvis redimita loca deae' 63,30 ‚viridem citus *adit Idam* . . chorus' 63,54 ‚et earum alumna *adirem* furibunda *latibula*', ‚alumna' cum Baehrensio scripsi contra codicum scripturam ‚omnia' haud dubie falsam et aliorum coniecturas, quod omnium aptissimum sensui mihi videtur. T. I 2,81 ‚num feror incestus *sedes adiisse* deorum' IV 1,59 ‚incultos *adiit Laestrygonas Antiphatenque*' P. I 3,12 ‚*hanc* . . ego conor *adire*' I 20,13—14 ‚et frigida saxa neque expertos *adire lacus*' IV 6,2 ‚immaturum mortis *adimus iter*' IV 11,34 *adisse lacus.* Bis apud T. passiva forma exstat I 6,22 ‚*sacra* Bonae maribus non *adeunda* deae, III 5,2 ‚*unda* non *adeunda*'. b) = implorare et obsecrare P. III 32,26 ‚solum te nostros laetor *adire deos*' IV 21,18 ‚undisonos nunc prece *adire deos*'. Absolute positum P. III 17,16 ‚si quis *adire* velit' 2) notione translata (= subire): T. I 5,39 ‚sed iam cum *gaudia adirem*'.

adnuere cf. supra § 4.

advenire (C.) 68,73 ‚ut . . quondam *advenit* Protesilaeam Laudamia *domum*'.

alloqui (C. P.) C. 63,49 ‚*patriam allocuta* maestast ita voce miseriter' 101,4 ‚et mutam necquicquam *alloquerer cinerem*' P. I 17,2 ‚desertas *adloquor alcyonas*'.

---

[21]) vide Kuehnerum II p. 200.

anteire[22]) (P.) (= superare) P. I 6,19 ,meritas conare *antire secures*' II 3,41 ,si quis vult fama *tabulas antire* vetustas'.

ascendere (T.) T. IV 1,12 ,Alcides deus *ascensurus Olympum*'.

circumcursare (C.) C. 68,133 ,*quam* (puellam) *circumcursans* hinc illinc'.

circumire (P.) P. II 5,26 ,non hederae *circuiere caput*'.

circumsistere (C.) C. 42,10 *circumsistite eam.* Verbum coeundi (C. P.) apud poetas elegiacos transitivam notionem omnino non habet. Accusativus qui exstat C. 64,37 ,Pharsalum *coeunt*' directionem significat. Eodem redit adverbium *huc* P. V 6,19 ,*huc* mundi *coiere* manus'. P. aut praepositionem adhibet ut IV 1,44 ,saxa sponte sua *in* muri membra *coisse* ferunt' et IV 24,18 ,volnera *ad* sanum *coiere*' aut dativum ut IV 14,8 ,vix memini *nobis* verba *coisse* decem'.

convenire cf. § 5.

conscendere (C. T. P.) semper transitive construitur C. 64,126 *conscendere montes* T. IV 1,171 ,excelsos vitis *conscendere ramos*' P. I 6,3 ,cum quo Rhipaeos possim *conscendere montes*' III 1,23 ,laudis *conscendere culmen*' III 10,13 ,illa . . *currum conscendens*'. T. I 3,37 ,nondum caeruleas pinus *conscenderat undas*'. Sic locum recte restituit Baehrensius, qui manum secundam Guelferbytani secutus pro *contempserat* (quod consensus librorum A G V) *conscenderat* reponit. Nam quod iam Heynio videbatur — verbum nimis magnificum esse pro simplicitate Tibulli — ego quoque contra Dissenium contendam, cum certe hoc loco nihil nisi simplex navigandi notio sit exspectanda. Hoc apparet ex gradatione, quae ex mea sententia inest versibus insequentibus hoc modo: primum navis mare conscendit (v. 37), deinde vela panduntur (v. 38), denique navis ad compendia repetenda in ignotas terras navigat (v. 39 et 40). Qua de causa *conscenderat* scribendum esse puto.

decurrere (C. T. P.) sensu proprio: C. 64,6 ,ausi sunt *vada* salsa cita *decurrere* puppi' T. IV 1,160 ,hibernas properat

[22]) de verbis cum *ante* et *prae* compositis cf. Seyffert, lat. Gram. 5. Aufl. praef. p. VIII.

decurrere luces' notione translata: P. III 7,41 ,qualem si cuncti cuperent *decurrere vitam'*.

e v a d e r e (P.) per translationem P. I 21,1 ,qui consortem properas *evadere casum'*.

e v i g i l a r e (T.) cuis verbi simplex iam transitive usurpatur (cf. Ovid. Tr. I 1,108) apud T. passive dicitur I 8,64 ,est mihi *nox* multis *evigilanda* malis'.

e x i r e cf. § 3.

e x p u g n a r e (P.) P. IV 12,9 ,haec etiam *clausas expugnant* arma *pudicas'*. Quibus de verbis, cum apud editores novissimos inutilem controversiam exstitisse putem, latius disserere mihi liceat. Alii illud *clausas* alii *pudicas* suspectum sive mendosum putantes diversissimas emendationes proposuerunt. Causam, cur lectio suspecta aut falsa habeatur, L. Muellerus profert his verbis: ,si pudicae puellae cur clausae? si non pudicae, omnibus, ut ait Ovidius, exclusis intus adulter erit'. Sed nonne ipse poeta dicit, pudicas armis aureis expugnari posse? Quod ut caveatur, cur non possunt clausae teneri a maritis aut patribus? Etsi, quod Muellero gravissimum est testimonium, in N supra *clausas* litteris minoribus legitur *nifeas,* cui M. mea sententia plus quam licet tribuit, hoc etiam tum ab illo *nymphas* quod coniecit longe abest. Non magis aliae coniecturae ut Ungeri *vittas* pro *clausas* et Baehrensii *maritas,* Marklandi *puellas* pro *pudicas* placent. Mihi quidem cupiditas corrigendi has emendationes elicuisse videtur. Itaque scripturam traditam atque omnibus codicibus excepto N suprascripto *nifeas* firmatam tenendam esse arbitror.

i n c r e p a r e (T. P.) ter transitive usurpatur T. I 1,30 ,aut stimulo tardos *increpuisse boves'* P. I 17,6 ,quam saevas *increpat* aura *minas'* IV 9,10 ,*increpet* absumptum nec sua mater *Ityn'*. Praeterea P. verbo intransitive utitur dativum adiungens V 7,12 ,at *illi* pollicibus fragiles *increpuere* manus'. Eodem modo

i n c r e p i t a r e (P.) a Prop. construitur et tra[illegible] IV 25,14 ,speculo *rugas increpitante* tibi' et intra[illegible] dativo III 21,15 ,et *tibi* ob invidiam Nereides incre[illegible]

Verbo induendi (P.) semel passive dicto Graecorum modo accusativus adiungitur P. IV 12,11 ,matrona incedit census *induta* nepotum' ut apud Verg. A. 2.275 *Hector redit exuvias indutus Achillis* et saepissime apud Ovidium. Accusativus sine dubio a transitiva verbi natura pendet, quia rem qua quis vestitur significat[23]). Praeterea activa forma cum accus. pers. et ablat. rei constructa invenitur P. V 2,23 ,*indue* me Cois'.

ingredi (C. T.) cui verbo Cic. fere praepositionem addit[24]) C. et T. cum nudo accusativo iungunt C. 64,246 ,sic funesta domus *ingressus tecta* paternae' T. I 3,19 *ingressus iter* II 5,1 ,novus *ingreditur* tua *templa* sacerdos'.

inire (P.), quod apud unum Propertium reperitur, semper transitive legitur II 8,24 ,Thebanam nollet *inire domum*', si quidem L. Muellerus *nollet inire* pro tradita scriptura *noluit inire*, quam Baehr. obtinet, recte coniecit. III 31,8 ,multas quid sit *inire vias*', translata V 4,60 *foedus inite*.

invadere (P.): P. IV 7,5 ,tu vero nostros audax *invade capillos*'.

involare (C.) C. 25,6 ,remitte pallium meum mihi, *quod involasti*'.

obire (C.) apud C. semel occurrit 63,62 ,quod enim genus figura est ego non *quod obierim*'.

obsidēre (C. T.) C. 64,345 ,Troicaque *obsidens* longinquo *moenia* bello'. Sensu translato (= coemere) T. II 3,41 ,praedator cupit immensos *obsidere campos*', passive IV 1,139 ,*tellus obsessa* colono'.

oppugnare (P.) P. IV 10,13 ,ausa . . *oppugnare* sagittis Maeotis Danaum Penthesilea *rates*'.

perambulare (C.) C. 29,7 ,ille *perambulabit* omnium *cubilia*'.

---

[23]) cf. Schroeter „der Accus. nach passiv. Verbis in der latein. Dichtersprache". Progr. Gross-Glogau 1870 et Draeger II p. 334.

[24]) cf. Augustin, de usu dativi ac praepositionum in structura verborum compositorum quae apud Ciceronem leguntur, Progr. Gymn. Ratibor 1869. p. 16.

percurrere (C. T. P.) C. 15 19 *,quem percurrent* raphanique mugilesque' 67.33 ,flavus *quam* (speculam) molli *percurrit* flumine Mella' T. IV 1.207 ,rigidos *percurrere campos'* P. I 3,31 ,donec diversas *percurrens* luna *fenestras'*. Ita vulgo scribitur et rectius, ut puto, quam *praecurrens,* quod Baehrensius recepit suos codices A F et sane optimum N secutus Si enim verbi *praecurrendi* propriam notionem respicimus, praepositio *prae,* quacum verbum est compositum, semper significationem germanice dictam *„voraus, voran"* secum habet nusquam *„vorbei"* (= praeter), quod sensui faveat. Quid autem sit ,luna fenestras praecurrit' aut quod idem est ,luna prae fenestris currit' non nisi inepte intelligitur. Facilius contra et sensui multo aptius ,percurrens fenestras' dicitur, quod est: luna leves luminis radios per fenestras mittit in dormientem. Semel intransitive exstat cum abl. loci P. III 8,49 ,vidistis toto sonitus *percurrere* caelo'.

pererrare (P.) P. V 5,19:

exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat
saxosamque terit sedula lympha viam.

Verbum *pererrat* pro *perure* vel *peruret* codicum scriptura primum apte in verborum ordinem recepit Wackkerus Struchtmeyeri *pererret* secutus. Totum hunc locum, quamquam viri doctissimi permultas et acutas emendationes protulerunt, haud plane sanatum vel potius, cum libri manu scripti tantopere inter se discrepent, omnino insanabilem esse certum iudico. Omnium quae exstant sententiarum — liceat has omnes a Baehr. ed. p. 172 enumeratas praetermittere — Muelleri verba maxime mihi placent, cum non solum singulis codicum scripturis maxime faveant sed etiam nexum sententiarum optime reddant neque tantas quantas profert Baehrensius immutationes exigant.

perlabi (T.) T. IV 1,127 ,nulla nec aerias volucris *per-labitur auras'*.

perrepere (T.) T. I 2,85 *,tellurem* genibus [illegible] supplex'. Simili sensu sed in tmesi verbum invenitu[illegible] vit. beat. 27,1 *genibus per viam repere.*

pervigilare (T. P.) T. III 6,54 ,et tecum [illegible] *gilare dies'* P. I 16,40 ,sollicitas trivio [illegible]

praecurrere (P.) P. I 13,25 ,una dies omnes potuit *praecurrere amores*'.

praestare (P.) sensu translato P. III 10,14 ,invitum et terris *praestitit* (Aurora) *officium*' (cf. anteire annot.).

praeterire (C. T. P.) verbi activa forma exstat C. 4,4 ,neque . . . *impetum* nequisse *praeterire*' T. IV 1,69 ,*praeteriit*que — Sirenum *litora*'. Apud P. persaepe passiva forma invenitur I 20,19 ,et iam . . *praeteritis* undis' III 5,52 ,fas est . . *praeteritos* viros amare' I 13,27 ,*praeteritos* fastus'.

Verbo subeundi (C. T. P.) C. et T. non nisi transitive utuntur: C. 61,164 ,rassilemque *subi forem*' T. I 3,41 ,illo non validus *subiit iuga* tempore taurus' I 4,47 ,nec te paeniteat duros *subiisse labores*'. Apud P. verbum novies reperi: quater transitive, quinquies intransitive cum dat. nullo discrimine intercedente, quod obsistere videtur legi quam statuit Draegerus II p. 352 „*subire* (cum accus) *in allen Zeitaltern in eigentlicher und in tropischer Bedeutung (selten mit dem Dativ)*" Accusativus reperitur I 6,30 ,hanc me *militiam* fata *subire* volunt' I 11,5 ,*te* cessantem . . te mirantem . . nostri cura *subit?*' II 9,52 ,*mortem* ego non fugiam morte *subire* tua' V 4,27 ,dum *subit Capitolia* nubila'. Dativus exstat: I 14,20 ,nec timet ostrino . . . *subire toro*' III 23,10 ,neu *subeant labris* pocula nigra tuis' IV 18,14 ,quae voluit . . *subire deo*' V 2,30 ,*capiti* vina *subisse* meo' V 6,71 ,candida molli *subeant* convivia *luco*'. Priap. 69,1 ,cum fici *tibi* suavitas *subibit*'.

praevertere (C.) C. 64,341 ,qui . . flammea *praevertet* celeris *vestigia* cervae'. Accusativus non tam transita vi simplicis efficitur quam quod compositione cum *prae* praepositione intransitivum rursus in transitivam vim abit. Ex Plauto, qui hoc modo deponens quod dicimus *praevorti* usurpat, Ulrichius (p. 12) affert exemplum Cas. II 8,73 *pulchre praevortar viros*.

transcendere (P.) P. I 14,19 ,illa neque Arabium metuit *transcendere limen*'.

transgredi (T.) T. II 1,75 ,*custodes* furtim *transgressa* iacentes'.

transilire (T. P.) T. II 5,90 ,*flammas transilietque* sacras' P. III 11,16 ,et *terram* rumor *transilit* et *maria'* III 13,12 ,ferratam Danaes *transiliamque domum'*.

transire (C. T. P.) T. I 5,73 ,et simulat *transire domum'* P. II 7,9 ,aut ego *transirem* tua *limina* clausa' III 2,5 ,tua *transibit* contemnens *ossa* viator' IV 6,27 ,quotiens *transibit* nauta *sepulcrum'*. C. 68,60 ,per medium sensim *transit iter* populi'. ,Sensim' optime pro tradito ,densi' restituit Hauptius. Pro ,per medium' Baehrensius ,per campum' scripsit. Sed non est, quod ,per medium' libris traditum reiciatur, cum duplici modo perbene intelligatur: aut adverbialiter, ut verbum transeundi accusativum ,iter' assumat, aut cum substantivo ,iter' coniunctum; quam structuram praeferam, cum coniunctio ,transire per' non solum apud optimos scriptores frequenter inveniatur, sed etiam eodem adiectivo ,medius' addito exemplum Sallustianum Iug. 107,5 exstet ,per media castra transire'.

Cap. IV.

Quarto loco breviter disserere volui de discrimine, quod intercedit inter Catulli Tibulli Propertii structuram verborum compositorum. Quam legem iam in praefatione tetigi — priores scriptores praepositionem, posteriores nudum casum praetulisse — eam etiam in hos poetas cadere dicamus. Si enim indicem consideramus ita institutum, ut omnium verborum compositorum, quae a singulis elegiarum poetis usurpantur, calculum subducamus ac structuras quae adhibentur computemus, fere in omnibus verbis ex praepositionem ordine dispositis normam supra allatam agnoscemus, ita ut praepositio maxime a Catullo minus a Tibullo minime a Propertio adhibeatur, casus autem nudus maxime a Propertio minime a Catullo admittatur.

Sed quod dixi aptissime sub oculos cadit indice hoc:

Indicatur ap. C. T. P.		a) summa verborum	b) quoties singula coniungantur: c. praep.	c. dat.	c. abl.
cum a, de, ex apud	C:	29	17	14	14
	T:	24	7	12	14
	P:	33	15	20	15
ad	C:	9	3	11	—
	T:	17	2	24	—
	P:	20	11	26	—
con	C:	7	4	8	—
	T:	7	2	10	—
	P:	10	2	22	—
in	C:	10	6	7	—
	T:	14	8	14	—
	P:	15	1	22	—

Indicatur ap. C. T. P.		a) summa verborum	b) quoties singula coniungantur: c. praep.	c. dat.	c. abl.
ob	C:	5	1	4	—
	T:	1	—	3	—
	P:	4	—	9	—
prae	C:	2	—	3	—
	T:	3	—	5	—
	P:	3	—	12	1
pro	C:	12	7	4	3
	T:	6	4	10	1
	P:	5	—	13	2
sub	C:	7	2	10	—
	T:	12	—	15	1
	P:	9	—	19	—
dis-, se-, re-	C:	5	5	—	—
	T:	3	3	—	—
	P:	9	6	—	4

Sequitur index omnium quae apud Catullum Tibullum Propertium exstant verborum compositorum ex literarum ordine dispositus (verbis cap. III exceptis):

Sequitur apud	Catullum	Tibullum	Propertium
abesse	3 a,[25]), 2 abl.	dat.	abl.
abducere		a	
aufferre	3 dat.	dat.	2 dat.
abigere			abl.
abire	abl.		abl.
avehere	a		
avellere	abl.		abl.
avertere	2 dat.		dat.
abscedere			abl.
abstinere	a	abl.	
abstrahere			2 a
decidere		abl.	a
declinare	ex		
decutere			dat.

[25]) numero praepositioni vel casui addito indicatur quoties [illegible] tura exstet.

Sequitur apud	Catullum	Tibullum	Propertium
deducere		ex, abl.	a
deesse	dat.	dat.	5 dat.
deferre			de
deficere			dat.
defluere		abl.	ex, a
degredi	a		
deicere			abl.
delabi	ex	a	
demere	ex	dat.	
demittere			abl.
denegare			dat.
depellere		dat., abl.	
deprecari			de
deprehendere	dat.		
derepere		abl.	
deripere		de, ex	
descendere			abl.
desilire			2 abl.
desistere			a
detrahere		de, dat., abl.	a, 3 dat., abl
devellere	dat.		
devocare	a, abl.	abl.	
devolvere	ex		
excidere	abl.		a, 3 dat., abl
excire	abl.		
excutere		dat.	
edere		abl.	abl.
ediscere			ex
efferre	abl.		
effluere	abl.		
egredi	2 ex		abl.
exire	abl.		
eicere	abl.		
elicere		abl.	
eludere			dat.
emergere	ex		

...quitur apud	Catullum	Tibullum	Propertium
...re	ex, 6 dat.	4 dat.	2 dat.
...pere		abl.	
...re			de
...lere	ex, abl.	abl.	ex
...nere	abl.		
...mere	abl.		
...ere			e
...re	ex		
...iere		ex	
...ere	abl.		
...ere			abl.
...ere		ad	ad, dat., acc.
...re	2 dat.	2 dat.	
...are	in		
...ibere		dat.	abl., 4 dat.
...	ad, dat.	2 dat.	3 dat.
...re			in
...	dat.	4 dat.	in, 4 dat.
...ere		dat.	
...	dat.	2 dat.	in, ad, 2 dat.
...e		2 dat.	
...re			dat.
		2 dat.	dat.
...e			in
...gere		2 dat.	
...ere	dat.	dat.	ad (?) 2 dat.
...ere			dat.
...ere		dat.	
...e	dat.	dat.	dat.
...are		dat.	dat.
...re			in, dat.
...		ante	3 super
...cere			dat.
...re			contra
...ere	dat.		
...re			dat.

Sequitur apud	Catullum	Tibullum	Propertium
advenire	ad, 3 dat.		
advertere		dat.	dat.
advigilare		dat.	
advolvere			dat.
adspirare		2 dat.	
committere	dat.	2 dat.	4 dat.
comparare	cum, 3 dat.		
componere	dat.		in, dat.
concumbere		cum, dat.	dat.
concurrere			dat.
conferre	dat.		8 dat.
conicere		dat.	
coniungere	2 cum, 2 dat.		
conserere		dat.	
constare			dat.
contendere	contra		cum, 2 dat.
contexere		2 dat.	dat.
contingere		3 dat.	2 dat.
contribuere		cum	
convenire	2 dat.	acc.	dat. acc.
illudere		dat.	
imminere	dat.		
immiscere		dat.	
impellere	in		
implicare	in	2 dat.	dat.
imponere		2 dat.	8 dat.
imprimere	dat.		
incidere	in, dat.	in	dat.
inclamare			dat.
incubare			dat.
incumbere			2 dat.
inducere	in		dat.
inerrare		in	
inesse		dat., abl.	dat.
inferre	in, 2 dat.		
ingerere	dat.	3 dat.	dat.

Sequitur apud	Catullum	Tibullum	Propertium
inicere	dat.		
inniti		dat.	dat.
inscribere		in	
insidere		dat.	
insistere		dat.	
instare		2 dat.	supra, dat.
insultare			2 dat.
intexere		dat.	
invigilare			dat.
imbuere	in, 2 abl.		2 acc.
obesse	dat.		
obicere			3 dat.
obsistere	dat.		
obstrepere			2 dat.
obtingere	dat.		
occurrere			dat.
offerre	dat.	3 dat.	
opponere	ad		3 dat.
praebere		3 dat.	7 dat.
praeducere		dat.	
praeferre			4 dat.
praeoptare	dat.		
praeponere	2 dat.		
praescribere		dat.	
praesidere			dat.
procumbere		ad, dat.	
procurrere	ex		
prodire		ex	abl.
proferre	abl.		
proficisci	2 a		
profundere	abl.		
proicere	pro		
porrigere	ex		dat.
prosilire	ex		
prospectare	abl.	abl.	
prospicere	ex	de, a	